

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

III. Praxis Aspirandi sæpius per diem ad Deum per preces jaculatorias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](#)

tantam enim perfectionem à Deo ha-  
bet in specie sua, formica, quantam ele-  
phantus, in sua; tantam passer, quan-  
tam aquila; tantam trigla, quantam ba-  
læna. Dei perfecta sunt opera. Hæc,  
Sacerdos Dei, pro viribus imitare, &  
valdè in perfectione ac sanctitate pro-  
ficies. Hic enim operandi modus, elu-  
xit in Christo, B. Virgine, Apostolis & aliis  
sanctitate illustribus.

## III. P R A X I S

*Aspirandi s̄epius per diem ad Deum  
per preces jaculatorias.*

**A**spirationes hæc, sunt brevissimæ  
quædam orationes, sunt suspiria  
ardentia, sunt ascensiones mentis in  
Deum & motus anagogici, sursum du-  
centes: sunt affectus seu affectiones  
cordis & desideria ferventia ad Deum &  
cœlestia. Ut his coneris affluescere, mo-  
reat t:

I. Voluntas Christi Domini dicen-  
tis Lucæ 18. *Oportet semper orare &*  
*pon deficere;* Hanc autem orationis  
per-

perpetuitatem per preces jaculatorias obtinebis.

2. Exemplum Christi easdem usurpantis. v.g. in horto : *Pater si possibile est transeat à me calix iste.* Et in Cruce : *Pater in manus tuas commendō spiritum meum.*

3. Exemplum Sanctorum ; quibus hæc orandi methodus familiarissima extitit. Sic orabat Judith : *Confirma me Domine in hac hora.* Thais à Paphnutio conversa, edocta est repetere idem : *Qui plasmasti me miserere mei.* Sanctorum alii centenos, alii millenos indies ejusmodi affectus & precationes velut igneas amoris sagittas in cœlum ejaculati sunt.

4. Fructus, qui inde exoritur, est augmentum ingens gratiæ & gloriæ, elevatio mentis à terrenis ad cœlestia, purgatio animæ, progressus in virtutibus, unio cum Deo.

5. Officium Sacerdotale, collectum requirit animum ; qui ne per externas occupationes, itinera, negotia, alloquia, nimium distrahatur & velut ab-

sorbeatur, per hujusmodi suspiria & mentis pios motus recolligendus est. Usus assiduus praxin faciliorem reddit. Exempli gratiâ, paucula innuere sufficiat.

*In aspectu solis.*

Conditoris pulchritudinem & maiestatem admirare & lauda, dicens: Quàm pulcher es Dilecte mi, & decorus! O Sol justitiae illumina me, accende me.

*In aspectu cœli.*

Quàm dilecta tabernaçula tua Domine! concupiscit & deficit anima mea.

*In aspectu siderum.*

Quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio!

*In aspectu rei delectabilis.*

Delectasti me Domine in factura tua.  
Psal. 91.

*In aspectu rei deformis.*

Abominabiles facti sunt, sicut ea quæ dilexerunt, Peccatores.

Casu



*Casu intuens quid indecens.*

Averte oculos meos , ne videant vanitatem. Psal. 118.

*Audiens referri grata.*

Benedictus Deus! Ephes. 1. gratulare, gaude , gratias age Deo.

*Audiens suavem musicam.*

Si hæc in exilio , quid erit in cælo ? si hæc homines , quid Angeli ?

*Gustans cibos sapidos.*

Gustate & videte , quam suavis est Dominus. Psalm. 33.

*Aspiciens hortum amœnum.*

Exorna me Domine floribus virtutum ; lilio castitatis , violâ humilitatis , rosâ charitatis.

*Sentiens frigus vel æstum.*

Exerce actum patientiæ. Benedicite frigus & æstus Domino.

*In tentatione.*

Malo mori , quam fœdari. Esto mihi Domine turris fortitudinis à facie inimici.

*Ingrediens templum.*

Adorabo ad templum sanctum tuum,  
& confitebor nomini tuo.

*Transiens Cœmeterium.*

Da requiem cunctis, Deus, hīc &  
ubique sepultis.

*Cernens cœcum, claudum, egrum,  
hæreticum, Iudaum, &c.*

Compatere, grāias age, pro fide, sa-  
nitate, integritate & cogita: Cur ille &  
non ego!

Videns Deum laudari, gaude, au-  
diens Deum offendī, contristare in spiri-  
tu. Intuens mundi vanitatem & pom-  
pam, detestare. Vanitas vanitatum &  
omnia vanitas. Denique cum S. Bonaven-  
tura in stim. amoris c. 10. ex qualibet  
ad Deum laudandum occasionem su-  
mire & ascendere facile poteris: Cum  
videris, inquit, aliquos in prælatione  
temporali, cogitabis hoc esse factum a  
Dei magnificentiam ostendendam & si  
in eis Dei potentiam collaudabis. Cum  
autem videris alios scientiae insidenteis  
in eis Dei sapientiam commendabis

Cu

Cum verò videris alios temporalibus  
negotiis infistentes, in eis divinam lau-  
dabis providentiam. Si aliquos videris  
ceteros judicantes, divinum judicium  
time. Si pœnas inferentes, divinam  
justitiam cogita. Si Prælatos remissos  
divinam misericordiam commendabis.  
Si insistentes operibus charitatis, divi-  
nam Bonitatem laudabis. Si calorem  
habueris, recogitabis Dei Patris nimiam  
charitatem, qua Filium suum voluit in-  
carnari & pro omnibus Crucifigi. Si fri-  
gus habueris, ab omni æstu miseriæ re-  
frigerium anhelabis: & sic per singula  
discurrendo, omnia potes & debes  
reducere in laudem & magnificientiam  
Creatoris. Vide Card. Bona in via  
Compendii ad Deum prolixius  
hæc tractantem.



HO.

5(38)5

